

solutione ad 1 explicasset id non facere Deum ex hominis merito, sed ex sua mera liberalitate et misericordia, subdit in solutione ad 5: *Licet homo non possit se disponere ad gratiam, nisi Deus illum disponat, posse tamen removere illud quod est impedimentum gratiæ, et tunc intrat Dei gratia.* Sic etiam Abulens., Matih. 21, quæst. 211, dicit Deum revelare mysteria fidei necessaria ad salutem, omnibus non ponentibus obicem, et eodem modo ait offerre gratiam suam omnibus facientibus quod in se est.

40. Facienti quod in se est, ut intelligi possit. — Sic etiam dixit Cumel. 1. 2, quæst. 112, art. 3, disput. 5, excitantem gratiam sufficientem esse in potestate nostra, quia Deus paratus est illam dare; pendet tamen aliquo modo ex potestate nostra, quatenus possumus illam impedire, et ita exponit axioma illud: *Facienti quod in se est*, id est, non ponenti obicem Deus non negat gratiam. Denique omnes qui simul dicunt homini facienti quod in se est Deum non denegare gratiam, et nihilominus dare illam mere gratis, et sine ullo merito, ut sunt Ruardus, Driedo, Molina et alii, re vera nihil aliud sentiunt, nisi eatenus conditionem illam esse necessariam, quatenus confert ut non ponatur impedimentum gratiæ; unde etiam Medina, qui 1. 2, quæst. 19, art. 6, dubio 3, § *Ad argumentum*, in solutione ad 3, probabilem existimavit illam sententiam, addit ibidem, § *Respondetur*, bona opera moralia, quæ facit peccator, conferre ut minorem repugnantiam habeat ad gratiam justificantem. Sic ergo, facere quod in se est, intelligi poterit ad non ponendum obicem gratiæ.

41. Præterea est hæc sententia et explicatio antiquis Patribus conformis: nam imprimis illa regula Augustini, lib. 2 de Peccat. merit., cap. 2, *ut homines non juventur gratia Dei, in ipsis causa est, non in Deo*, plane supponit et Deum esse paratum ad dandam gratiam si homo non impediat, et hominem posse impedire; et epistol. 105 dicit, quibus non datur auxilium gratiæ, eos meruisse ut non detur, et alia multa in cap. 17 afferemus. Ambrosius, circa id ad Rom. 1: *Non autem arbitror*, etc., sic ait: *Prohibitum se dicit usque ad tempus data Epistolæ, a Deo scilicet, qui sciens adhuc imparatos illos, ad alias urbes direxit Apostolum.* Declaraturus autem quomodo essent imparati, dicit paulo inferius: *Vitiis prohibebantur carnalibus ne digni jam essent addiscere spiritualia*, id est, indigni erant et de se inepti ad spiritualem doctrinam; unde quod infra dicit,

eosdem exhortatos esse a Paulo ut digni fierent ad excipiendam doctrinam, a vitiis carnalibus abstinendo, negativè etiam intelligendum est, scilicet, ut, a vitiis abstinendo, impedimenta tollerent. Luculentius hoc docuit Chrysostomus, homil. 7 in Joann., circa illa verba: *Illuminat omnem hominem*, dicens: *Si illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, quonam pacto tot homines sine lumine permanerent? Illuminat profecto quantum in ipso est. Si qui autem, mentis oculis sponte sua conniventibus, ad hujus lucis radium aciem dirigere noluerint, non ex luminis natura in tenebris perstiterunt, sed malitia sua, quæ sponte tanto se dono indignos reddiderunt; et infra: Qui autem ejus munere frui negligunt, hanc suam cæcitatem sibi ipsis impudent; et sic etiam dixit homil. 42 in Genes.: Non eo quod non possumus, sed ex eo quod non volumus, ab omnibus bonis sumus alieni.* Sic etiam Andr. Cæsar., in Apocalyp., suo cap. 19: *Qui hoc (inquit) auxilio destituuntur, ideo destituntur, quia una cum ipso manum operi adhibere non volunt.* Videtur autem loqui de his qui vocationi non cooperantur, et ideo postea illa privantur; sed a fortiori sequitur merito illa privari qui antecedenter (ut sic dicam) illi ponunt impedimentum. Denique eandem sententiam aliter et optime declarat Marcus Heremita, in libr. de Paradiso, lege et spiritu, sub titulo de his qui putant se ex operibus justificari, cap. 23: *Omne, inquit, opus bonum quod per nostram naturam operamur, tantum equidem efficit ut e contrario malo aut vitio abstinemus. Ceterum extra gratiam sanctificationis affecti accessionem nobis facere non potest.* Sic ergo facere quod in se est in observanda lege naturæ, non quidem per modum meriti aut moralis dispositionis, sed per modum rempventis impedimentum peccati, conducere potest ad gratiam; ita ergo intelligenda est illa conditio.

42. Concluditur prædicta interpretatio a sufficienti partium enumeratione. — Denique a sufficienti partium enumeratione hæc interpretatio seu assertio concluditur; ostendimus enim excitantem gratiam, necessariam ad salutem, generali lege omnibus esse per Christum oblatam, et promissam non absolute, sed sub aliqua conditione ab ipso homine pendente. Hæc autem conditio non est meritum aliquod, vel dispositio proportionata supernaturali gratiæ; ergo tantum esse potest conditio non ponendi obicem. Patet consequentia, quia nulla alia potest cogitari,

quia, licet interdum bona aliqua actio sit necessaria, cum illa per se nihil ad gratiam conducat, solum potest esse necessaria ut obicem peccati impediatur, vel potest esse utilis ut pravas dispositiones, et vitia quæ hominem ad opera gratiæ ineptiorem reddunt, impediatur. Confirmatur, quia si aliquis adultus omnino caret hac gratia excitante interna, id non est primario ex parte Dei, quia ipse maxime cupit illam omnibus conferre; ergo est ex parte hominis: causa autem ex parte hominis esse non potest, quod illam non mereatur, vel ad illam se moraliter non præparet, cum id facere non possit ante primum auxilium; ergo solum esse potest causa, quia ponit aliquod impedimentum gratiæ Dei; ergo e contrario conditio in dicta lege inclusa solum est ut homo non ponat obicem gratiæ Dei. Denique hæc conditio est justissima, et non repugnat dignitati vel liberalitati gratiæ Dei; ergo ita est intelligenda.

43. *Aliorum mens circa hanc explanationem.* — Dicunt vero aliqui, licet hæc explicatio in rigore vera sit, nihilominus de facto et praxi nunquam Deum dare gratiam facienti quod in se est dicto modo, quia nullus est qui non ponat impedimentum gratiæ, si Deus aliquantulum differat dare illam, et ideo vel non dat illam, quia non facit quod in se est, vel si speciali vult misericordia uti, dat illam etiam non facienti quod in se est. Sed hoc divinare est; nam, cum inscrutabilia sint judicia Dei, et innumerabiles modi vocandi homines, non possumus in hoc aliquid certum affirmare. Fortasse enim aliquos supernaturaliter vocat paulo post usum rationis, quo brevi tempore possunt facere quod in se est per rationis usum, et re ipsa habere cogitationem congruam qua id faciant; aliis vero, licet tardiori mora differat vocationem, fortasse præbet auxilium gratiæ ordinis naturalis, ut quod in se est faciant, et postea vocat illos: ergo licet hæc fortasse rara sint, non possumus affirmare nunquam fieri, aut Dei potentiam in modo et serie communicandi auxilia gratiæ limitare.

CAPUT XVI.

DIFFICULTATI CAPITIS XII PROPOSITÆ SATISFIT.

1. *Solvitur proposita difficultas.* — Ex doctrina superioris capituli, facile solvitur difficultas in initio capituli 12 proposita, in qua inferebatur, si auxilium supernaturale omni-

bus non datur, sed multis tantum offertur, Deum expectare voluntatem hominis, ut ei suam gratiam conferat; negatur enim sequela; quia expectare voluntatem hominis, est expectare aliquod meritum, vel dispositionem, vel præparationem ejus: hæc autem ex parte nostra præcedere non potest, ut diximus, et hoc est quod intendit Concilium Arausicanum; cum enim ait: *Si quis, ut a peccato purgemur, voluntatem nostram Deum expectare contendit*, per voluntatem non ipsam potentiam intelligit, sed actum ejus, sensusque est: *Si quis, ut a peccato purgemur, velle nostrum Deum expectare contendit*, id est, velle purgari, ut aperte declarant sequentia verba: *Non autem, ut purgari velimus, per Spiritus Sancti infusionem fieri confitemur*; hoc ergo est quod Deus non expectat, nec aliquam dispositionem propriam, vel meritum ex parte hominis; quamvis ergo requirat interdum ut homo saltem impedimentum non apponat, non propterea expectat aliquam bonam voluntatem ejus, quæ sit ratio gratiam obtinendi, ac proinde nec sequitur quod hominis voluntatem expectet, nec quod meritum aliquod ex parte hominis præcedat, nec quod initium salutis sit ex parte hominis, quia non ponere obicem, nullum meritum vel initium est. Dices expectare Deum ut homo non peccet, nec obicem ponat, quod etiam videtur absurdum: ad hoc respondebimus in puncto sequenti.

2. *Objectio prima ad responsionem.* — *Secunda.* — Contra dictam vero responsionem instari potest, quia vel illa conditio non ponendi obicem est in potestate hominis sine gratia præveniente et excitante, vel ad illam implendam requiritur gratia; neutrum potest convenienter dici; ergo manet integra eadem difficultas. Minor quoad priorem partem probatur, quia alias posset homo ante omnem gratiam Dei se immunem a peccato servare per bonum usum naturalem boni liberi arbitrii, quod dici non potest, etiamsi de peccatis mortalibus loquamur, ut ex dictis in lib. 2 suppono. Sequela probatur, quia quodlibet peccatum mortale est sufficiens impedimentum divinæ gratiæ; ergo ut homo non ponat obicem, oportet ut omnia peccata evitet; ergo si per solum liberum arbitrium potest non ponere obicem, potest omnia peccata mortalia evitare. Altera vero pars minoris probatur, quia ad implendam illam conditionem, requiritur prior gratia; si illa non datur, petitur ab homine conditio illi impossibilis, et sic vana est promissio; si vero datur, hoc est contra

hypothesim, loquimur enim de homine nondum vocato, nec excitato per gratiam; et præterea jam illius gratiæ promissio erit omnino absoluta, et sine ulla conditione, quod etiam est contra dicta. Secundo, objicitur contra dictam responsionem et declarationem, quia ex illa sequitur, si homo, postquam venit ad usum rationis, peccatum aliquod mortale committat, eo ipso fieri incapacem illius promissionis, qua Deus offert gratiam facienti quod in se est, quod videtur inconveniens, quia alias inutilis esset illa promissio, quia nullus est homo qui, perveniens ad usum rationis, non citissime peccet, nisi præveniatur a Deo per gratiam, ut non peccet. Item, quia alias Deus non esset paratus ad dandam gratiam ei qui semel peccavit, quia nec absolute eam promisit, nec jam superest conditio quæ ab homine impleri possit, quod etiam est absurdum, et contra dicta. Probatur autem prima sequela, quia quodlibet impedimentum peccati est sufficiens impedimentum gratiæ: postquam autem homo semel peccavit, non potest peccatum a se tollere; ergo nec impedimentum tollere; ergo statim fit incapax promissionis: non dico autem fieri incapax gratiæ, nam si Deus velit, poterit illam dare: sed infero fieri incapacem promissionis, quia ex vi illius non tenetur Deus illam dare ponenti obicem; quod si dederit, ex sola sua libertate dabit, non ex promissione.

3. *Objectio tertia.* — Tertio objici potest, quia sequitur, si homini facienti quod in se est Deus non daret gratiam, habere talem hominem excusationem apud Deum, etiamsi reliqua necessaria ad salutem non præstet, quia jam per illum non stetit, sed per Deum. Consequens videtur esse contra Augustinum, epistola centesima quinta, post medium, dicentem: *Cum non liberat nisi gratia, nihil justum invenit in eo quem liberat, non voluntatem, non operationem, non saltem ipsam excusationem, nam si hæc justa est, quisquis ea utitur, merito, non gratia liberatur.* Ergo nec talis excusatio, ex sententia Augustini, admittenda est. Et rationem indicat, quia alias ratione illius daretur gratia, et ita non esset mera gratia, sed ex aliquo merito, id est, ex aliquo titulo justitiæ, quia qui propter excusationem exigit aliquid, non ut omnino gratuitum, sed ut debitum aliquo modo, id postulat. Unde etiam sequitur axioma illud: *Facienti quod in se est, etc.*, intellectum etiam eo modo quo nos illum interpretati sumus, non omnino a Pelagianismo excusari, quia ex parte

hominis esset aliqua ratio obtinendi gratiam, saltem quia excusationem habuit apud Deum, et ideo gratiam recepit. Quarto, sequitur e contrario eum qui, peccando in principio usus rationis, posuit impedimentum gratiæ fidei, non habere excusationem suæ infidelitatis, atque nullum posse adultum negative tantum esse infidelem, saltem post aliquam moram temporis ab usu rationis. Consequens est falsum, ut supponimus: ergo. Sequela patet, quia ille sua culpa caret notitia fidei; nam si fecisset quod in se est, ut tenebatur, recepisset revelationem et excitationem ad fidem; ergo imputatur illi carentia fidei, ac subinde est infidelis culpabiliter, et non tantum negative.

4. *Responsum D. Thomæ circa hanc difficultatem.* — Principalem difficultatem insinuat divus Thomas, dicto libro tertio contra gent., cap. 160, dum ait: *Quod dictum est, in potestate liberi arbitrii esse ne impedimentum gratiæ præstet, competere his in quibus natura integra fuerit, quia si natura sit lapsa, non erit in potestate ejus, nullum impedimentum gratiæ præstare.* Et ita oritur difficultas tacta, quia sic conditio postulata ab homine lapsa impossibilis videtur. In fine autem capituli respondere videtur primo, id non esse inconveniens, quia illa impotentia ei imputatur ad culpam, quod non est intelligendum proprie et in se quia illa impotentia formaliter sit culpa, vel novam poenam mereatur, id enim nullo modo dici potest, cum illa impotentia nec sit actus hominis, nec in se libera; dicit ergo imputari ad culpam in radice, quia hic defectus ex culpa præcedente in eis relinquitur, utique originali peccato. Hæc vero responsio satisfaceret quidem, nisi Deus, quantum est ex se, salvare omnes homines lapsos, eisque auxilia ad delendum originale peccatum sufficientia, et adultis actualia auxilia in singulis recipienda, quantum est ex se, dare decrevisset. At posita in Deo hac voluntate et providentia illi consentanea, nullo modo potest illa responsio satisfacere, quia peccatum originale jam non est computandum in ea quæ impediunt in adultis initium excitantis gratiæ supernaturalis, quia, non obstante hoc peccato, promissa est hominibus lapsis, propter Christum, divina gratia sufficiens; ergo in ea promissione non potest postulari, ut conditio requisita, carentia talis culpæ, cum promissio supponat illam culpam, quæ adultis remitti non potest, nisi prius in eis impleatur illa promissio, dando illis excitantem gratiam: ergo ita facta est ut sit implenda, non obstante illo impedimento, si aliud non

addatur; ergo necessarium est ut sit in potestate hominis lapsi, cui facta est illa promissio, non addere aliud impedimentum, alias facta esset illa promissio sub conditione impossibili, et ita derisoriam et frustraneam existeret.

5. *Argumentum primum.* — Addit ergo divus Thomas in eodem loco aliam responsionem, nimirum, licet homo lapsus non habeat potestatem ad vitandum omnino peccatum, habere tamen potestatem ad evitandum hoc vel aliud peccatum: *Unde, inquit, quodcumque committit, voluntarie committit, et ita non immerito ei imputatur ad culpam, per quam nimirum ponat impedimentum gratiæ.* Verumtamen responsio non caret difficultate, quia primo, licet in multis verum sit hominem lapsum posse vitare hoc vel illud peccatum, non tamen in omnibus determinatis actibus et occasionibus id verum est; nam si occurrat tempus diligendi Deum ut auctorem naturæ super omnia, in illo non potest homo implere naturalem legem sine auxilio gratiæ, ut supra lib. 2 dictum est; ergo nec potest facere quod tenetur, ut non ponat impedimentum gratiæ, et hoc argumentum maxime urget, si verum est teneri hominem venientem ad usum rationis, statim vel quam primum Deus illi in mentem venit, illum hoc modo diligere; nam tunc non poterit non statim ponere impedimentum, nisi per gratiam præveniatur; ergo tunc non erit danda gratia facienti quod in se est, sed potius erit illi necessaria ut faciat quod debet et quod in se est, cum illa, non vero ante illam.

6. *Argumentum secundum.* — Secundo, fieri potest simile argumentum de occasione in qua gravis tentatio occurrat, nam tunc etiam non potest homo non ponere impedimentum gratiæ, nisi per illam præveniatur; ergo si ab eo petitur ut ante gratiam non ponat impedimentum gratiæ, conditio impossibilis ab eo postulatur. Estque verisimillimum similem tentationem regulariter ac fere omnibus hominibus occurrere paulo post rationis usum, præsertim iis qui inter infideles, sine ullo usu veræ religionis, educantur, quia ipsa consuetudo vel superstitiosi cultus vel imitandi vitia parentum est sufficiens ad inducendam gravem tentationem statim post rationis usum, maxime interveniente dæmonis sollicitatione, qui, cum circa omnes vigilet, quærens quem devoret, maxime in iis dominatur qui nondum aliquam divinæ gratiæ excitationem accipere incœperunt: unde verisimile est statim in illo initio enixe contendere ut cadant, et ponant

gratiæ impedimentum: ergo, cum resistere non possunt sine gratia, si ab eis postulatur, tanquam conditio necessaria ut resistent, ne ponant gratiæ impedimentum, petitur conditio impossibilis, nam ut possint resistere, oportet ut per gratiam præveniatur.

7. *Argumentum tertium.* — Tertio, fit argumentum de ipsa collectione præceptorum, et de impotentia servandi omnia, sine peccato, quia etiamsi homo gentilis, verbi gratia, servet semel aut iterum præceptum naturale occurrens, non statim illuminatur a Deo, et fieri potest ut per aliquod longum tempus non illuminetur; at vero homo infidelis non potest longo tempore totam legem naturalem sine peccato servare; ergo si id ab illo petitur ut conditio necessaria ad primam gratiam obtinendam, petitur conditio impossibilis: ergo ut iis hominibus detur gratia sufficiens, non satis est afferre illis gratiam, si faciant quod in eis est, sed oportet illos prævenire per gratiam, ut possint facere quod in eis est, seu quod debent.

8. *Respondetur distinguendo potentiam moralem et physicam.* — Ad hæc responderi potest per distinctionem potentiæ moralis et physice, et dicendo, licet in prædictis casibus moraliter non possit homo facere quod debet, physice posse facere, ita ut illi imputetur, et censeatur ponere impedimentum gratiæ, juxta quam responsionem consequenter concedendum erit his hominibus dari vel offerri auxilium sufficiens physice, licet non moraliter, quia, licet auxilium supernaturale quod Deus paratus est dare, in se spectatum, sit vel esse posset moraliter sufficiens, imo etiam de se potest esse efficax, nihilominus modus quo offertur homini non ponenti obicem est moraliter impossibilis, ut declaratum est, et ita, in effectu, talium hominum sufficientia poterit dici physica, non moralis, seu moraliter possibilis; nec hoc involvit injustitiam ex parte Dei, quia non tenetur lege ulla justitiæ copiosorem gratiam et faciliorem modum illam obtinendi conferre, et quia peccatum originale de se totam illam gratiæ carentiam vel sterilitatem meretur, et Deus, ex vi generalis voluntatis salvandi homines, aut universalis redemptionis ad majorem providentiam aut liberalitatem, obligari noluit.

9. *Quod auctor non probat.* — Sed hæc responsio, licet contentiose possit sustineri, quia non involvit errorem, aut aliquid manifeste contrarium divinæ bonitati, nihilominus mihi non probatur, quia est durissima sententia, et

parum consentanea visceribus divinæ misericordiæ, quam in Scripturis sanctis erga peccatores et miseros homines lapsos Deus ostendit; et etiam contra sufficientiam universalis redemptionis Christi, quæ, ut perfecta sit, non tantum physica, sed moralis esse debuit; alias, respectu talium hominum, magis illis esset occasio damnationis majoris quam salutis, nam cum illa potentia physica talis sit ut nunquam consequatur effectum sine gratia, quid confert ad salutem quod offeratur gratia redemptionis sub conditione faciendi id quod propter impotentiam moralem nunquam faciendum est. Denique modus ille providentiæ non videtur Deo dignus, nam videtur potius esse simulatio quædam, vel hominum elusio, quam provisio sufficiens.

10. *Alia responsio.*—Aliter ergo responderi potest distinguendo inter facere quod in se est, et facere seu implere quod homo tenetur; nam in omni occasione potest homo gratia destitutus facere quod in se est, per vires naturales, quamvis non semper id sit satis ad faciendum cum effectu totum ad id quod tenetur, licet ad aliquam excusationem sufficiat; quæ responsio potest facile accommodari ad primum casum de dilectione Dei super omnia: nam licet in rigore homo teneatur per legem naturalem diligere Deum super omnia actu perfecto et absoluto, et destitutus gratia id facere non possit, nihilominus aliquo actu imperfecto potest diligere, unde si in hoc genere faciat tunc quod potest moraliter, etiamsi perfecte non diligat, faciet nihilominus quod in se est, ut non ponat impedimentum gratiæ; quia, licet non impleat legem integre, facit quod potest, et, in eo quod non facit, per impotentiam excusatur. In secundo autem casu, aliter hoc explicandum est, quia ille qui consentit tentationi contra legem naturalem, non excusatur a culpa propter solam tentationem, nec facit quod in se est, nisi resistat, etiamsi soli suæ libertati relinquatur, ut in libro 2 visum est; quia libertas, si sit perfecta, includit potentiam moralem non faciendi, et ita in illo casu, et physice et moraliter potest homo facere quod in se est, ita ut non ponat impedimentum; unde si tentatio eo pervenit ut tollat potentiam moralem, tunc habet locum responsio, quod si homo faciat quod moraliter potest, et propter impotentiam moralem vincatur, nihilominus non ponet impedimentum gratiæ, quia excusatur a gravi culpa, licet cum effectu non impleat legem.

11. At vero, licet hoc sustineri possit res-

pectu singulorum instantium temporis pro quo durat tentatio, non tamen respectu totius tentationis absolute, nam licet totam illam non possit homo moraliter et in effectu vincere, nihilominus non excusatur a culpa in quocumque momento peccet, quia cum impotentia morali respectu totius temporis, stat potentia moralis respectu singulorum instantium, et ita optime stant illa duo simul, videlicet, ut homo non excusetur a culpa, et nihilominus moraliter non possit facere quod in se est, id est, quod necessarium est ut non ponat impedimentum gratiæ, et ita revolvimur in priorem responsionem; eademque difficultas relinquatur in tertio casu: nam extra casum tentationis gravis, potest homo moraliter non peccare in singulis, licet simpliciter non posset vitare omnino peccatum, nec ad hoc facere quantum in se est sine auxilio gratiæ.

12. Quapropter, persistendo in eadem responsione, dici potest: Esto verum sit in aliis casibus non excusari hominem a peccato violando legem naturalem, nihilominus si faciat quod in se est aliquo modo, et ex pura infirmitate cadat, nihilominus quoad hoc excusatur, ut non propterea censeatur ponere impedimentum excitanti gratiæ, seu vocationi divinæ, quia conditio in rigore postulata non est ut non omnino peccet, sed ut non sit omnino negligens, et quasi contemptor legis naturalis, imo potius humanam aliquam diligentiam ad se continentem adhibeat; pie enim credi potest Deum non deserturum eum qui saltem hoc modo se gessit, licet interdum cadat, quia est casus ex infirmitate, vel ignorantia quam miseratur Deus, juxta illud Pauli: *Misericordiam consecutus sum, quia ignorans feci*; qui modus dicendi est probabilis, non tamen mihi omnino satisfacit, quia non satis declarat convenientem et sufficientem providentiam Dei erga hos homines, non solum ut salvari possint, sed etiam ut possint simpliciter et moraliter non peccare; item quia non potest negari quin omne peccatum mortale de se sit dignum carentia omnis gratiæ, etiam excitationis; unde, licet Deus det illam hominibus sic peccantibus ex sua liberalitate, sicut dat etiam interdum illam induratis et contemptoribus et pessimis hominibus, nihilominus non possumus asserere esse infallibilem regulam, quod his qui sic peccant dabit Deus gratiam, si negligentiores non sint.

13. Multo enim melius videntur expediri prædictæ difficultates per distinctionem duplicis gratiæ supra traditam; una est enim ordi-

nis naturalis, altera supernaturalis, ex quibus prior potest in suo genere esse sufficiens ad implendum quodlibet præceptum legis naturalis, et ad vitandum quodlibet peccatum, etiam urgente gravi tentatione, ut ex dictis in libro 2 constat; non autem est talis gratia proxime sufficiens ad implenda supernaturalia præcepta, vel actus per se infusus elicendos, sed remote dici potest sufficiens, quia bene utenti illa non negatur altera supernaturalis, quæ ad dictos effectus necessaria est et proxime sufficit.

14. *Instantiæ occurritur primo.*—Qua doctrina, quæ vera et communis est, facile ad primam instantiam respondetur, occurrente præcepto naturali diligendi Deum finem naturæ super omnia, et tempore pro quo obligat, ad providentiam gratiæ Dei, quam propter Christum pro lapsis hominibus statuit, pertinere, ut præveniat hominem per sufficiens auxilium gratiæ naturalis ordinis quo possit homo illud præceptum implere, si velit, et ad illam gratiam dandam non postulatur conditio ut homo faciat quod in se est, sed ex liberalitate et misericordia Dei datur, quia necessitas hominis id requirit, et Deus voluit per Christum omnium misereri, providendo in articulis necessitatis juxta uniuscujusque occasionis exigentiam saltem sufficientem; quod si per tale auxilium homo non impleat præceptum, jam non facit quod in se est; si vero adimpleat, non propterea meretur supernaturale auxilium, dabitur autem gratis propter Christum.

15. *Occurritur secundo.*—Ad secundam instantiam, similiter dicitur in omni articulo gravis tentationis contra legem naturalem non defuturum Deum, dando simile auxilium ejusdem ordinis sufficiens ad non consentiendum tentationi, et servandum præceptum, sive Deus immediate conferat tale auxilium per seipsum, sive per Angelum custodem, sive per alia media specialis providentiæ suæ, vel positive excitantia mentem hominis speciali modo, et præter communem ordinem causarum; sive privative, arcendo dæmonem, ne tam graviter tentet; hoc autem solum pertinet ad eandem providentiam Dei, et eo modo fundandum et explicandum est quo in præcedenti puncto id fecimus. Ad tertiam instantiam, eodem modo responderi potest Deum, per auxilia specialia gratiæ ejusdem ordinis naturalis, prævenire hominem ratione utentem, ita ut moraliter possit totam illam legem naturalem implere, et omnino peccatum vitare pro ali-

quo tempore, in quo, si cum illis auxiliis faciat quod in se est, illuminabit eum.

16. *Expeditur difficultas, et queritur quomodo Deus det gratiam facienti quod in se est per auxilium inferioris gratiæ.*—Ut autem hæc difficultas clarius expediatur, quæri potest quomodo sit intelligendum, Deum dare gratiam hanc facienti quod in se est per auxilium inferioris gratiæ, an scilicet statim det illam in eodem momento, aut post aliquam moram, vel quanta illa sit; nam, juxta quantitatem moræ, facile intelligetur an possit homo in tota illa sine peccato conservari antequam illuminetur per vocationem ad fidem. Quidam sentiunt in eodem puncto, vel saltem immediate postquam homo fecit quod in se est intra ordinem naturæ, actu recipere supernaturalem illam illuminationem; ita sentiunt multi Thomistæ, habentque fundamentum in D. Thoma 1. 2, quæst. 89, art. 6, ubi ait, si homo in sylvis educatus, et perveniens ad usum rationis, faciat quod in se est, ut convertatur in Deum, eo modo quo tunc potest, statim fore justificandum, quod non potest intelligi ex vi conversionis et dispositionis naturalis; ergo debet intelligi, quia statim recipit ille vocationem fidei, cui si cooperari velit, statim justificatur. Quod si hoc verum est, cessat difficultas posita, quia, ut homo faciat quod in se est, ita ut primam supernaturalem excitationem gratiæ recipiat, non est necessarium facere quod in se est perseveranter, vel constanter pro aliquo tempore, sed tantum in prima occasione, quæ post usum rationis moraliter offertur; id autem facere potest homo non tantum per auxilium supernaturale, id est, ordinis supernaturalis (ut quidam indicant), sed etiam per auxilium peculiare gratiæ ordinis naturalis, ut declaratum est, quia datur solum ad actum naturalem, et ad vincendam naturalem difficultatem; imo, extra occasionem amandi Deum supra omnia, vel vincendi gravem tentationem, ordinaria naturalis cogitatio honesta cum perfecto usu rationis potest esse ad id sufficiens, quia solum requiritur ut homo faciat quod in se est, ad evitandum impedimentum peccati; hoc autem pro brevi tempore fieri potest sine speciali auxilio gratiæ, etiam naturalis ordinis, ut jam etiam explicatum est.

17. *In quo gratia habitualis et actualis differant.*—Verumtamen non video quo fundamento affirmetur eum, qui in uno actu et momento convertitur in Deum, vel in bonum rationis, eo modo quo tenetur, vel quo potest